



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 92. Isidori Cardinalis Patriarchæ Constantinopolitani obitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. XCI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1463.

*Regina denuo in Franciam reversa.*

**H**enricus accepta hac clade denuo in Scotiam rediit; Regina vero ejus conjux, superatis innumeris ferme periculis sola cum Filio suo per nemorum opaca, & impervias Regiones tandem maris oram attigit, ubi a nemine cognita unacum Juvene Principe navem, quam casu offenderat, conscendit, atque in Gallias trajecit, iteratas petitura suppetias; verum nihilo benigniores, quam antea experta est rerum vicissitudines; unde novis in horas emergentibus obstaculis, nonnisi viginti librarum millia mutua, ac quidem sub durissimis conditionibus sibi numeranda a Galliarum Rege impetravit.

§. XCII.

*Isidori Cardinalis Patriarchæ Constantinopolitani obitus.*

**H**oc anno die octava Martii Isidorus Cardinalis Patriarcha Constantinopolitanus, & Sacri Collegii Decanus supremum diem obiit. Is Thessalonicæ, seu juxta alios, in ipsa Constantinopolitana urbe natale solum accepit. Primo S. Basilii institutum profitebatur, postea Ruffiæ Episcopus renuntiatus, demum  
H 2 Floren-

*Gobelin.  
Comment.  
Pii II. lib. II.  
§ 12.*

Secul. XV.  
A.C. 1463

Florentinæ Synodo assistit, ubi Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Cardinalium numero ab Eugenio IV. Papa adlectus est. Non multo post tempore in Russiam iter relegit, ut ibidem Ecclesiæ latinæ sacra, ritumque stabiliret, cum vero populus schismate infectus in eum insurgeret, in carcerem coniectus est, a quo tamen aliquo post tempore liberatus Romam reversus est, sed paulo post a Nicolao V. Pontifice Constantinopolim decernebatur, ibidemque præsens erat, cum urbs Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio a Turcis capta est; exstatque hodie epistola, quam Cardinalis hanc in rem scripserat. Nonnullorum Historicorum opinio fuit, Isidorum Cardinalitio habitu indutum in promiscua cæde a Turcis occisum fuisse, certius tamen est, quod simulata mancipii specie furentium manus evaserit, ac post plurima vitæ discrimina Romam, ut mox meminimus, redierit, ubi Patriarchæ Constantinopolitani titulo decoratus, post aliquot annos ex hac vita migravit, sepultusque est in Ecclesia S. Petri; Bessarion vero Cardinalis in ejus locum ad hanc Patriarchalem Sedem pro Latinis designatus fuit.

§. XCIII.